

nisi esset adeo desperatus : quia autem medicus ex sola gratia medetur omnibus & singulis pro lubitu medicamenta distribuens, quæro an hic medicus ex animo gloriari possit, se omnium salutem quæsisisse & voluisse, qui tamen non omnibus proposuit medicamenta revera sufficientia ad expellendum morbum? plane non. Hinc ipse Tostardus tandem in scripto quodam Apologetico num. 9 faretur: Non possum mihi persuadere, quod Deus desideret desiderio ardenti & vehementi salutem hominum, quibus non vult dare gratiam sine qua absolute non possunt salvari: quod velit rem sub conditione absolute impossibili: quod velit salutem omnium, ut etiam filium dederit propitiationem pro peccatis, nec velit tamen gratiam dare ad applicationem istius remedii.

X.

Conversio est amissibilis.

Reformatos hæc positio petit, qui propter absolutum electionis decretum negant semel justificados posse amittere Spiritum S. gratiam conversionis, justificationis, adoptionis, adeo ut e. g. Davidem adulterum & homicidam fidem nequaquam amisisse doceant Calvinus Lib. III. Institut. cap. Chamier Panstrat. Catholic. Tom. III. Lib. III. cap. 20. Pareus in Irenico, Amyraldus, Spanhemius, autor libelli in Belgio superiori seculo impressi, cui titulus: Tafel / welche begreiffet den Unterschied zwischen der Lehre / welche in den Reformirten Kirchen in Frankreich / Engelland / Schottland ꝛ. gelehret wird / und zwischen der Lehre / so die Neulinge haben / welche Remonstranten / Arminianer oder Vorstianer genennet werden p. 46. Cloppenburg. append. Disp. Gangræn. Anabaptist. oppositar. Sam. Maresius Disp. peculiar. de Perseverantia Sanctor. Turretinus statu controversiæ adversus Arminianos (Lutheranos vir pacis studiosissimus generali vocabulo patronorum apostasiæ